

uilia quæ M. Bruti genitrix fuit, quam, ut ait Suetonius, ante alias dilexit, cui super alias donationes margaritam ingenti pretio mercatus est: Filiæ nomen Tertia, quæ ipsius soror Bruti & C. Cassij conjunx erat, cum itaque bona ciuium subasta venderentur iussu Cæsaris, & Seruilia magni valoris prædium exigua pecunia comparasset, lusit Cicero. Evidem quo melius emptum sciatis, comparauit hunc fundum Seruilia, Tertia deducta. Rogatus pro amico, ut ei Decurionatum procuraret, multis audientibus respondit: Romæ ius habente Pompeio difficile est quod postulas: tacitè facilitatem Cæsar is nimiam incusans, super Senatus dignitatibus passim profundendis. Eodem pertinet quod Laberio ait: cum enim Senatu supra modum aucto, parum abforet, quin loca Senatoribus nouis deessent, una & tudem Senatum, & Laberium non inuenientem ubi nam assideret, & ipsum qui angustiarum materiam præbuerat, Cæsar em illusit, recepissem inquit te, nisi angustè sedcrem: Hunc tamen iocum non inultum tulit. Ita enim ille repercussit. Mirum si angustè sedes, qui duabus sellis sedere soles. Duplicitatem animi & fidei

CONC